



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia  
Sacra**

**Montmorency, François de**

**Antverpiae, 1638**

Canticum Zachariæ. Benedictus Dominus Deus Israël. ex Luc. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)

CANTICVM  
ZACHARIAE patris IOANNIS  
BAPTISTAE.

*Luc. 1.*

**B**enedictus Dominus Deus Israël, qui  
visitavit, & fecit redemptionem ple-  
bis suæ:

Et erexit cornu salutis nobis, in domo Da-  
uid pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, qui  
sæculo sunt, Prophetarum eius.

Salutem ex inimicis nostris, & de manu  
omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus  
nostris: & memorari testamenti sui sancti.

*Iusur*



## A R G V M E N T V M .

Nato filio IOANNE, ZACHARIAS Sacerdos  
lætitiâ gestiens, & soluto iam linguæ vin-  
culo, in hoc Genethliacum carmen pro-  
rumpit.

**V** Enit io, venit Deus Israël; ab omni  
Absoluitque suam miseratus fœnore  
plebem,

*Cui prius innumeris obnoxia manserat annis.*

*Sit felix faustusque suis: tibi, sanguis fesse,*

*Precipue, quo non Superis acceptior a' ter.*

*Quale tibi nunc imperium? qua surgere cernes*

*Auspice regna Deo? Tibi plenum Copia cornu*

*Desuper inuergit. Tibi deserit Æthera terris*

*Permansura Salus, versis ad prospera fatis,*

*Quam modo maturus saeculorum suscitatur ordo:*

*Quam fore concordi cecinerunt carmine vates,*

*Quotquot ad hoc prisco repetuntur tempus ab*

*ano.*

*O vicibus mutanda Dei sententia nullis!*

*Olli stat seruare suos. Furtimve palamve*

*Quidquid agat, nihil hostis aget. Mors unde*

*profecta est,*

*Inde Salus nobis Stygio debetur ab angue.*

*Vae tibi, terrarum confidentissime prado,*

*Non ultra spolijs capti lataberis Orbis.*

*En*



Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham  
patrem nostrum, daturum se nobis:

Vt sine timore, de manu inimicorum nos-  
trorum liberati, seruiamus illi;

In sanctitate & iustitiâ coram ipso, omni-  
bus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis  
præibis enim ante faciem Domini parare via  
eius:



En sperata diu, patribus promissaque nostris  
 Libertas, longo tandem post tempore venit.  
 Quodque pio Deus addixit iuratus Abramo,  
 En dedit illius nobis de sanguine nasci  
 Christum assertorem. Quo Vindice pulsa Ty-  
 rannis

Damnatas miserâ soluat formidine terras:  
 Ingenuoque metum posthac mutemus amore  
 Numinis, & sanctos illi reddamus honores.

Tu quoque parue puer (sed qui puerilia  
 nescis

Ex utero Matris Domino sacer) incipe summi  
 Alta Patris precox mysteria pandere vates.  
 Vos hederam silvæ laurumque Ennonides illi  
 Deperate, nouo munuscula debita vati:  
 Tu, Iordane, super populares adijce palmas.  
 Hospes enim venit iste tibi: quo gloria tolles  
 Se tua: felicem quo te iactabis alumno,  
 Sit minùs ut grandi celebris Carmelus Eliâ.

Quis tibi se veterum, puer auree, conferat?  
 illi

Hactenus absentis desiderio flagrarunt:  
 Tu digitum potes in præsens intendere Nu-  
 men:

Tu Domino veniente præis; salebrosa viarum  
 Expediens, ut nullus obex remoretur euntem.  
 Qualiter ambigua dirimens confinia noctis  
 Aurora exoritur primi sub lumina Solis;  
 Insternitque rosis oberundum sedula callem.

Exere,



Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum:

Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.





Exere, Nate, tuam, quantū potes, exere vocem;  
 Dic auida plebi: Coram, quem queritis, hic est  
 Qui peccata suo piet insons vestra cruore.

Tanta Deum generis cepit miseratio nostri,  
 E superis ad nos ut se demiserit oris  
 Iam nostri similis, iam maiestate remissâ  
 Immundos hominum patiens incurrere tactus.  
 Sol ita purpureis oriens modò lotus ab undis,  
 Innocuo fulgore micat; cupidusque videri,  
 Temperat oblatos oculis mortalibus ignes.

Euge decus cali, mundo letabile sidus;  
 Redde diem mersis scelerum sub nocte, sub  
 umbrâ

Errorum populis: ut obortâ luce reiectum  
 Fas sit iter Recti firmis insistere plantis.

